



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Iohanni Rectori Ecclesiæ sancti Andreae Senensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

terani 111. Non. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

*GVIDONI RECTORI  
Ecclesie sancti Matthei Senensis.*

**S**oler annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecte in Domino filij, tuis justis precibus inclinati, personam tuam & Ecclesiam sancti Matthei Senensis, in qua divino es obsequio mancipatus, cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quae in praesentiarum eadem Ecclesia rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis praestante Domino poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem libertatem quam venerabilis frater noster Bonus Senensis Episcopus eidem Ecclesiae provida deliberatione concessit, sicut in authentico confecto exinde plenius continetur, tibi & per te ipsi Ecclesiae auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum Laterani 1 v. Kalend. Februarij, anno duodecimo.

*IOHANNI RECTORI  
Ecclesie sancti Andreae Senensis.*

**I**vis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum, & vota quae a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecte in Domino filij, tuis justis precibus inclinati, concessionem parochiae tibi & Ecclesiae sancti Andreae Senensis pia liberalitate a venerabili fratre nostro Bono Senensi Episcopo factam, sicut pie ac provide facta est, & in ipsius authentico plenius continetur, ac eadem Ecclesia eam iuste obtinet & quiete, tibi & per te ipsi Ecclesiae auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum Laterani 1 v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

*PRIORI MONASTERII  
de Hikelinge, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris rogatarem vitam professis in perpetuum.*

**R**eligiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse praesidium, ne

forte cujlibet temeritatis incursum aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacrae religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium sanctae Dei genitricis & virginis Mariae sanctique Augustini de Hikelinge, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascunque possessiones, quaecunque bona idem monasterium in praesentiarum iuste ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis praestante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permanent, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo praefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, parochialem Ecclesiam omnium sanctorum de Hikelinge, cum Capella beatae Mariae & omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam sanctae Mariae & Capellam sancti Andreae de Perham cum pertinentiis suis, Ecclesiam & Capellam omnium sanctorum de Hachetum cum pertinentiis suis, Ecclesiam de Hannevirche cum pertinentiis suis & decimis de Ruckon, jus quod habetis in Ecclesia sancti Iohannis Baptistae de Wastonesham, jus quod habetis in Ecclesia sanctae Margaritae Norwvicensis sita in Vvestvvic, jus patronatus Ecclesiae sanctae Margaritae de Palinge, totam terram quam habetis de feudo de Palinge & de Vvastonesham, terras & redditus quos habetis in civitate Norwvicensi, terras & redditus quos habetis in villa de Gernemue, & annuum redditum quatuordecim marcarum quas ex dono quondam Hamonis de Valens debent vobis monachi de Gervvalle nomine villae de Rocvvic. Sanè novalium vestrorum quae propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos liberos & absolutos è seculo fugientes ad conversionem recipere & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem

D d d iij

Epist. 114. De confirmatione privilegiorum.

Epist. 164. De confirmatione privilegiorum.

Epist. 116. Confirmatione scripti copii Senensis.

Epist. 165. Si confirmatur collatio ipsius iustitia.

Epist. 117. Iustitia scripti.

Epist. 166. De confirmatione privilegiorum.